

Armeniae, quod audisset esse pulcherrimam. Rex christianus tanti regis viribus territus dedit. Illa post aliquod tempus e viro suo Cassano edidit in lucem partum tantae deformitatis, ut rex maritus nullo modo illum veluti suum voluerit agnoscere; quod monstrum videretur. Vocat ergo ad consilium primarios et de ipsorum sententia uxorem veluti adulteram et partum velut ex adulterio susceptum ultimo supplicio adjudicat; tametsi executio sententiae miraculo impedita est, ut alibi dictum. Quis ex hoc iudicio colligere non poterat quam deformis et monstruosus foetus ille fuerit? Jam vero id ipsum cernere est in quovis peccatore. Tam enim deformem partum edit, peccatum scilicet mortiferum ut propterea Deus adjudicet peccatorem una cum sobole sua aeterno ignis supplicio: quodque amplius est, omnes illius proles, quas edidit prius formosas et elegantes, comminuit et necat. Diceret forte aliquis regem illum Cassanum minus sapuisse, minusque recte egisse. Sed certe hoc de Deo dicere non potes: omni enim virtute, omni sapientia, omni pietate praeditus est; et nihilominus peccatorem sibi licet per baptismum desponsatum, ob foetum illum peccati, quia nullo modo suum agnoscit, abjicit in infernum, nec ejus commiseratione tangitur in aeternum. Viden ergo tandem, quantum hoc sit malum?

VI. Colligitur ex odio, quo creaturae sensu et ratione carentes peccatum prosequuntur. Illustre hujus rei exemplum habemus in profugo illo Jona, cujus inobedientiam ipsum mare ferre noluit, sed ferocientiam instar equi jactabat navim, in qua Jonas ferebatur, summo omnium discrimine, nec ante desedit furor ejus, quam Jonam deglutiret; quo facto stetit mox a fervore suo, Jon. I. Notabile vero est quod Arias Montanus ex r. Eleazaro vetustissimo Hebraeo refert, nautas quinque periculum fecisse, quo divinum de submergendo Jona consilium diligentius exquirent. Sublatum enim Jonam in mare usque ad collum saepius demittebant, rursumque ad se in navim recipiebant: quoties vero demissus erat, mare conquiescebat: cum autem receptus, rursum fremere et intumescere sentiebatur; quo signo divinae voluntatis certiores facti, Jonam tandem in mare coniectum penitus dimiserunt; ac tum mare conquievit. Facit hoc credibile nautarum sollicitudo in liberando Jona. Stetit ergo tunc mare a fervore suo: « Quia invenerat quem quaerebat, inquit S. Hieronymus, velut si quis persequatur fugitivum et concito pergat gradu, postquam fuerit consecutus, desistit currere et stat ac tenet quem apprehenderit, etc. » Similem huic historiam scribit Jo. Moschus, in prato spirit. LXXVI. de femina parricida, quae cum

duos filios peremisset, navis, qua vehebatur immota stetit, caeteris progressis. Fassa igitur scelus et in scapham demissa, mox una cum scapha in imum demersa est.

Ex quibus clare intelligimus quantum malum sit peccatum, quando peccatores tam exosi sunt vel ipsis elementis, et quam bene de illis dixerit Sapiens, Sap. V. *Excandescet in illos aqua maris*. Et haec videtur etiam causa esse, cur ante diem iudicii omnia elementa perturbanda et quasi in aciem ducenda sint: postulabunt enim peccatores ad commerta supplicia, nec prius conquiescent, donec tradantur rei: quomodo filii Israel obsederunt Benjamitas, dicentes: *Tradite nobis viros, qui hoc flagitium fecerunt; eisque caesis civitatem succenderunt*, Judic. XX.

VII. Colligitur ex odio quo sancti illud abominati sunt, imo et philosophi aliqui gentiles. Ex his primo, Aristoteles, III. ethic. ait: *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis*: secundo, Seneca: *Etsi scirem, inquit, homines ignoraturos et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem*. Quinetiam Pilatus, qui nec admonitione uxoris, nec populi clamoribus permoveri poterat ut dimitteret Christum, cum audisset eum dicentem: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*; exinde quaerebat eum dimittere, quasi timor peccati admittendi plus eum movisset quam uxoris querela et populi clamor, Jo. XIX.

Ex illis primo, S. Edmundus Cantuariensis archiepiscopus: « Malo, inquit, insilire in rogam ardentissimum, quam peccatum ullum sciens admittere in Deum. » Secundo, D. Anselmus, l. de similitud. c. XIX. « Si hinc peccati pudorem, inquit, et illinc gehennae cernerem horrorem, et necessario eorum uni deberem immergi, prius me in infernum immergerem, quam peccatum in me admitterem. Mallem enim purus a peccato gehennam intrare, quam sorde pollutus caelorum regna tenere. »

Tertio, sancta quaedam virgo, apud Corn. a Lapide, in c. II. Jerem. moriens non immerito dixit: « Discedo ex hoc mundo cum haec sola incapacitate, quomodo creatura possit deliberate committere peccatum mortale contra suum creatorem. » Consonat huic sententiae, quod Jacob patriarcha petenti quidem Ruben noluit filium Benjamin praebere ducendum in Aegyptum, tametsi voventi: *Ambos filios meos interfice, nisi reduxero eum tibi vivum*. At Judae protestanti peccati se reum fore, nisi illum reduceret, statim concessit; quasi longe gravius sit malum, peccati se reum constituere, quam proprios filios ad necem offerre, Genes. XLII. et XLIII.

Quando igitur, auditores, tantum malum est

peccatum, tantaque desolationis abominatio: ubicumque eam viderimus, fugiamus illic; nec revertamur in domum pro temporali aliquo commodo, ubi est periculum hujus pestis contrahenda.

CONCIO IV.

POENITENTIA NON DIFFERENDA USQUE AD FINEM VITAE.

I. Quia tempus mortis hiems est: 1. Ob dies breviores. 2. Propter frigus. 3. Ob crebras et graves tempestates. — II. Quia sabbatum est: 1. Respectu animae. 2. Respectu corporis. 3. Respectu Dei.

THEMA.

Orate ut non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato.
Matth. XXIV.

Quam vere dixerit ad Deum David, Psalm. LIX. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, inter alias ex eo patet: quod fidelibus suis, qui Jerosolymae degebant, duplex signum dedit impendentis excidii simulque duplex tempus fugae indicavit et suasit. Primum, in hodierno evangelio securissimum et tempestivum: *Cum videritis abominationem desolationis, hoc est, templi profanationem, quae ante obsidionem, Tito adhuc apud Alexandriam agente facta est a Zelotis, hoc est, seditiosis quibusdam Judaeis, qui templum occuparunt et in castellum mutarunt, super ejus portas machinas et arma disposuerunt, necnon sacrificantes in eo trucidarunt adeoque templum et aram ipsam innocentem sanguine resperserunt, ut refert Josephus, l. VI. de bello, c. I. Alterum magis propinquum, Luc. XXI. *Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, etc.* cum jam scilicet Titus ad urbem castra metari eamque obsidione cingere incepit, quo tempore properantibus adhuc patebat fuga, licet non ita secunda, uti prior. Atque tunc Christiani, ut refert Eusebius, fugerunt in oppidum Pellam nomine. Mystico sensu, suadet nobis Christus fugam mortis aeternae duobus maxime temporibus. Primo, cum videmus abominationem desolationis stantem in loco sancto, id est, quamprimum advertimus peccatum lethiferum in anima nostra, de qua apostolus I. Corinth. III. ait: *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*. Peccatum vero abominatio desolationis est. Et hoc est optimum ac securissimum tempus fugae, cum viso in conscientia peccato statim fugimus ad peni-*

tentiam. Alterum et extremum, minus autem tutum, cum incipit peccator paulatim obsideri a morbo: ubi non debet expectare, donec morborum exercitus et dolores mortis eam circumdant et pericula inferni inveniant: quia tunc non patebit amplius fuga: sed fugere antequam invalescat morbi vis. Et hoc est quod indicat Dominus illis verbis: *Orate ut non fiat fuga vestra hieme vel sabbato*. Videamus ergo causas cur ad mortem imminentem differenda non sit resipiscentia. Duobus maxime temporibus incommodam asserit fugam Dominus, hieme et sabbato. Atqui tempus mortis quasi hiems est et sabbatum.

I. Hiems est, proindeque ad conversionem incommodum. Primo, quia ut in hieme dies breves sunt ad iter faciendum: sic tempus mortis breve est ad agendam poenitentiam. Nam initio morbi non expectatur mors, sed levis tantum putatur adesse alteratio, quam amici, domestici, adeoque medici aliqui febriculam appellant facile curabilem; ipsemet aeger sibi de convalescentia et morbi levitate blanditur, atque: Ubi convalescero, cautior ero; et quamdiu adhuc robustus est, non libenter audit de morte, de confessione, de vocandis sacerdotibus, ipsique amici sedulo cavent ne quid tale aegro obstrepant, nondum desperato, praesertim nobili et potenti. De quibus verissime dici potest id Salvatoris: *Inimici hominis domestici ejus*. Sunt enim velut servi carnificis, qui reum consolantur dicentes, nondum habere quod sibi timeat; imponuntque manum suam capiti illius, quasi nondum instet ictus, cum interim carnifex subito caput reo praecidat. Quando igitur res aegroti in magno versatur periculo et desperationi proxima est, tum demum admoneri solet: Velitne admittere confessarium: qui cum advolarit, videt poenitentem nihil aut parum dispositum, nullo praevio examine conscientiae suae praeparatum, peccatorum suorum immemorem, nec ipse longum examen instituire cum aegrotis potest, quia timet ne nimium fatiget illum et ad impatientiam provocet, atque ita negotium satis plerumque obiter et festinanter agitur. Et qua ratione existimabimus bene confici posse negotium tanti momenti in tam brevi tempore? Bene mori, ejusmodi res, quae praeparationem exigit totius vitae. Huc enim ss. patres, omnes suos conatus, omnia exercitia spiritualia dirigebant: huc antequam devenirent, prius se multoties ad libram examinis ponderarunt: et quomodo is qui forte diu non est confessus et peccatorum pondus, quod camelum oneraret, in dorso gerit, tam cito se exonerabit? Augetur interim morbi vis et saepe

obruit incautum, ut nihil amplius loqui possit. Et quam multos excludit a confessione temporis brevitatis? Quam multi dicunt: Cras vocabo sacerdotem, et hodie moriuntur? Similes Pharaoni ejusque exercitui, Exod. XIV. qui cum iter facerent in mari rubro, stantibus utrinque aquis velut muris, et viderent angelum Domini percussentem, dixerunt: *Fugiamus Israel.* Sed dum fugiunt, revertuntur in eos aquae et submergunt omnes.

II. Propter frigus. Experientia enim testis est, quam frigidi sint ægrotantes ad amandum Deum, ad meditanda et desideranda cœlestia, ad spernenda terrena, ad virtutes exercendas. Morituri confitentur et communicant plerique, quia ita receptus mos Christianorum habet, ne parum Christiani reputentur: vel ex metu mortis qualequale quærunt remedium. Cujus signum est, quia sani multo persistunt tempore in peccatis, nec medelam quærunt. Contritio procedere ex amore Dei debet, non ex coactione, aut formidine inferni: requirit fervorem charitatis, Deum super omnia amantis. Quomodo autem infirmi mediis in doloribus excitabimus in nobis ignem istum, quem sani difficulter excitabimus? Dicite hi: Si servus emptitius dominum fugisset et postmodum ex fuga retractus a domino graviter cæderetur, putatisne hunc servum dum adhuc sub flagellis et verberum dolores sentit, posse dominum castigantem diligere? Annon potius contra illum fremet et de ejus sævitia conquereatur? Si enim prius non dilexit te jam blandientem et beneficientem, quomodo nunc diliget verberantem? Tu peccator es servus talis, emptus pretio magno, sed per peccatum ab hero profugisti et alteri adhæsisti: retraheris tamen aliquando et in articulo mortis iterum incidis in ejus manus, ubi atrociter vapulabis. Et tunc illum tunc amabis super omnia, qui hic blandientem non amasti, sed creaturis postposuisti, et toties offendisti? Denique, si magna delectatio mentem ita occupat, ut ad alia attendere nequeat, multo magis ingens tristitia; unde colligitur rationem afflicti et cum morbo luctantis hominis parum attendere posse ad Deum et salutem suam: uti patet cum quis dentium dolore vel oculorum affligitur. Tametsi enim ad excitandam hominis mentem ut in Deum convertatur, cœlestia desideret et terrena spernat, multa adhibentur media, adhortationes, sacramenta, lectio pia, etc. eo tamen illi, qui prius mundo deditus et frigidus Christianus fuit, parum proderunt. Cujus rei typus fuit David, qui senio confectus et morti vicinus non poterat caleferi, licet operiretur vestibus, III. Reg. I. Ita enim homo mo-

riturus, præsertim mundo deditus, in mortis articulo difficile accenditur ad amorem Dei, tametsi adhibeantur varia remedia spiritualia: potius enim dicere debet cum Davide, Ps. CXVIII. *Factus sum sicut uter in pruina.* Uter enim etsi prius distentus, mollis et unctus, in pruina constringitur et fit aridus ac durus: quemadmodum et homo in acrimonia morbi. Falluntur ergo qui putant sufficere, si infirmus ostendat se patientem, libenter audiat spiritualia, quæ illi præleguntur et recensentur, suscipiat sacramenta. Hæc enim tametsi in se bona et efficacia, parum tamen prosunt homini peccatorum frigore rigenti, nisi in seipso etiam excitet incendium veri doloris et propositi emendationis; atque adeo omnem suam cogitationem a diabolo, carne, mundo abstrahat, et in Deum convertat: quæ sane homini doloribus circumdato valde sunt difficilia. Non enim omnes sunt Jobi, non omnes Tobiae, non omnes sunt tres pueri, qui in fornace ignis et maximis angustiis Deum benedicere possint: *Caput meum doleo, caput meum doleo,* (IV. Reg. IV.) hoc solum fere omnes afflicti ingeminant.

Tertio, propter graves et immitæ tuas tempestates nivium, imbrium, ventorumque ac frigoris. Etenim morientem invadit quæ gehennæ, amor mundi et amicorum, quos relinquere debet, tentationes dæmonum gravissimæ, dolor ipse et cruciatus morbi; quæ omnia velut uno impetu irruunt in hominem, eumque undique perplexum et quasi amentem faciunt: ut proinde difficillimum sit in tantis tempestatibus convertere se ad Deum, et negotium salutis agere, quod omni negotio gravius est. Jactabant quidem se duo illi filii tonitru, Jacobus et Joannes, quasi calicem Domini bibere possent: sed cum caperet Dominus, arripuerunt fugam eo derelicto, Matth. XX. et XXVI. Animosior adhuc Petrus, dicebat: *Domine tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire,* Luc. XXII. sed cum sederet ad focum, voce unius ancillæ ostiariæ percussus negavit et pernegavit Christum, quemadmodum prædixerat illi Dominus. Et quomodo se heroes præstabunt ægri, cum in articulo mortis cernent comprehendi seipsos. Quid si prodeat tunc ancilla ostiaria, conscientia, (quæ observat ostium mortis maxime) et redarguat eos: *Nunquid et tu Galilæus es?* Nonne: *Te loquela tua manifestum facit?* Quid, inquam, huic responderent? Propterea itaque sancti etiam viri magnopere timebant, ne in articulo illo succumberent. Et peccator vis ibi converti, ubi sanctissimi quique timuerunt perverti?

II. Sabbatum etiam est tempus mortis. Primo,

respectu animæ, quo multoties ex vi morbi ligato intellectu et voluntate, nihil amplius liberi operis exercere potest, ac proinde nec pœnitentiam agere: et ita sabbatum est, cum cessat operatio animæ. Si multi etiam sani nolunt intelligere, et horrent vocabulum pœnitentiæ, contritionis, propositi emendationis, restitutionis, condonationis offensarum, etc. quam peregrina putas erunt hæc vocabula morituris? Sane videmus eos ad propositum nihil pene respondere, cum de talibus interrogantur. Nimirum qui modo non vult intelligere, quæ dicuntur de pœnitentia, sed dissimulat: tunc cum volet, non poterit intelligere. Sic Hannibal cum post pugnam statim Cannensem potuisset Romam capere, postea bis imbre densissimo coactus recedere: *Cum potui, non habui voluntatem; et quando volui, non habui potestatem capiendi Romam.* Deinde, mortis tempore voluptates, creaturæ et peccata, quæ amasti, te potius relinquunt, quam tu illa, quia tunc frui iis non potes amplius; et proinde non voluntarie sed coacte deseres illa, non deserturus, si diutius frui posses. Potes quidem facere ex necessitate virtutem, ut scilicet ea quæ sive jam obtinere sive tecum auferre nequis, ex voluntate cum odio et detestatione deseras, nunquam ea repetiturus, licet habere posses; sed experientia ostendit hoc perraro fieri. Plerique enim qui in mortis periculo confessi sunt, et promiserunt vitæ emendationem, ubi convalescunt, in pristina statim redeunt peccata, quamprimum ea perpetrandi sit potestas. Quis tunc asserat seriam illos egisse pœnitentiam et non potius fictam et coactam? Si mercator in periculo constitutus ejiciat in flumen merces; et postquam evasit periculum, studiosè iterum conquirat, et extrahi de aquis curet: vel si quis a tauro impetitus, pallium abjiciat et fugiat, post periculum vero statim pallium suum repetat, quis dicet illum merces, hunc vero pallium voluntarie abjecisse et non cogente formidine? Quo circa graviter Sanctus Augustinus monet in l. de vera et falsa pœnitentia: « Nullus expectet, quando jam non possit peccare: qui prius utique a peccato relinquitur, quam ipsa relinquat, ea non libere sed quasi ex necessitate condemnat: illi autem qui cum potuerunt converti, noluerunt confitentes cum jam peccare nequeunt, non sic facile acquirunt quod volunt. » Cum ergo pœnitentia illa sit dubia saltem, debes in summo hoc periculo, tutiorem partem eligere. Sic enim idem pater, hom. XLI. ex L. (ut refertur de pœnit. dist. VII.) ait: « Si quis positus in ultima necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœ-

nitentiam, non illi negamus, quod petit, sed nec præsumimus, quod bene hinc erit: et si securus hinc exierit, ego nescio: pœnitentiam dare possumus, securitatem autem non possumus. Sed quid dico? Damnabitur? Sed nec dico: Salvabitur. Vis, quod incertum est, evadere? Age ergo pœnitentiam, dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quod securus es, quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo peccare potuisti: si autem vis agere pœnitentiam quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. » Hæc Augustinus, loco citato, c. Si quis.

Deinde, sabbatum est respectu corporis, quod in infirmitate ineptum est ad pœnitentiam subeundam, et quandoque sensibus privatur, ut nec cernere aut homines agnoscere, nec loqui, nec audire possit: quo statu sacerdotes re infecta discedere ab ægro debent, quia heu! sabbatum agit infirmus. Promisit quidem Deus, se recepturum peccatorem, quacumque hora ingemuerit, et converterit se ad Deum, sed non promisit tempus ad hoc semper dandum. Unde miseri homines, cum audiunt, quocumque tempore posse agi pœnitentiam, ideoque eam semper differunt, misere decipiuntur et moriuntur: *In tempore non suo,* ut ait Ecclesiastes, c. VII. Simili stultitia delusit et decepit semetipsum Sedecias rex, qui, ut advertit Josephus, lib. X. antiquit. cap. X. et XI. cum duo prophetae, Jeremias et Ezechiel, prædicerent Jerosolymam capiendam a rege Babylonis, ipsumque Sedeciam in Babylonem ducendum esse captivum, suaderent proinde, ut traderet illi civitatem; Sedecias id non credidit, multo minus assentiri voluit. Causam vero deceptionis hausit ex prava intellectione verborum utriusque prophetae. Dicebat enim Jeremias: *Comprehensione comprehenderis, et in manu ejus traderis: et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, etc.* ut habetur Jerem. XXXIV. Ezechiel vero dicebat Sedeciam non visurum Babylonem, ut habet c. XII. Unde concludebat ipse, vel neutri prophetae credendum esse, vel Ezechieli potius quam Jeremiæ. Sed eventus ostendit, utrumque verum dixisse. Captus enim a Nabuchodonosore et ad illum adductus Sedecias eratis oculis in Babylonem ductus est: et ita vidit regem Babylonis, et ductus est in Babylonem, sed non vidit Babylonem. Simili modo decipiunt se peccatores, cum se consolantur variis Scripturis promittentibus veniam et Dei misericordiam ac longanimitatem, uti illud: *Expectat Dominus, ut misereatur vestri,* Isa. XXX. et illud: *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet, etc.* Ezech. XVIII. nec advertunt, quod ex alia parte dies Domini compare-

turfuri et fulguri, et quod utrumque verum sit: Deum scilicet recipere peccatores quancumque venerint, interim vero non promittere ejus tempus ad conversionem, sed potius insperato sæpe et repente quasi excæcatos abducere in alterum sæculum. Sic evenit juveni euidam, cui Grinizo nomen, qui habitavit Perusii in Italia, in conventu S. Vincentii cum Petro Damiano, postea cardinale et episcopo Ostiensi, qui hanc historiam scripsit ante annos 550. Hic cum ad omnem se voluptatem carnis projiceret, cum diabolo paciscitur, obsecurum se illi, ea lege ut triduo ante mortem præmoneret eum obitus sui; sperans tunc se poenitentiam acturum. Evolutis aliquot annis, quos in peccatis exegerat, accessit eum diabolus ex pacto monens, eum post triduum meriturum. Convocat ergo is religiosos omnes, et quid cum diabolo pactus sit, omnibus aperit; quo facto statim obdormivit. Religiosi omnem movebant lapidem, ut illum excitarent, ad confessionem adducerent, et sacramentis munirent: sed obdormiebat ille, quantumcumque traheretur ac pungeretur, quamdiu poenitentia fiebat mentio: evigilabat vero, et respondebat, si profanum aliquid diceretur; dein rursus si de confessione fieret mentio, imo si vel nomen poenitentia audiretur, profunde indormiebat. Duravit hoc usque ad tertium diem, quo expiravit. Post sepulturam multi canes nigri ad sepulcrum convenerunt, et super eo multis noctibus manserunt: quo videlicet fideli suo servo caninas agerent exequias. Videtis quomodo hic miser, qui ex subdola prædicatione non putavit se visurum infernum, expeccatus tamen eo ductus sit. Quam facile hoc idem cuivis accidere potest? Verissimum igitur quod Ecclesiastici XI. dicitur: *Repromissio nequissima multos perdidit*. Patet enim hinc, quod S. Augustinus ait: *Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei*. Quomodo ergo servi Assueri operuerunt faciem Aman, suspendendo in patibulum, Esth. VII. ita cacodæmones laborant, ut morienti peccatori tenebras obducant, quo obliviscatur sui et Dei.

Denique, respectu Dei, qui in tempore illo etiam otiaabitur, hoc est, non dabit gratiam illam, quam daret alias, specialem et copiosam, quæ sit efficax ad conversionem; exigentibus id peccatoris demeritis. Gratiam Dei ad conversionem esse necessariam, verius est, quam ut ostendi debeat: imo August. ait: *Hoc est magnum miraculum Dei, cui Deus inspirat et adjuvat, ut frangatur per contritionem*. Deinde, quo diutius homo in peccatis persistit et pergit, eo

major requiritur gratia ad ejus conversionem. Denique, qui suam poenitentiam ex industria differt ad mortem, eo ipso meretur gratia debita subtractionem, quia ex præsumptione peccat misericordiae divinæ, adeoque ipsum remissionis principium, quantum in se est, destruit. Non audis, quid dicat Isaias, cap. XXXIII. *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Et Deus per Davidem, Psal. XV. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum postea acceleraverunt. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: in Hebr. habetur: Non libabo libamina eorum de sanguinibus*. Vides, Deo non placitura sacrificia peccatoris, quæ ex præsumptione in mortem differt. Quid etiam dicit Deus, Prov. I. *Vocavi, et renuistis, inquit, et despicistis omne consilium meum: ego quoque in interitu vestro ridebo, cum irruerit super vos calamitas et interitus: tunc invocabunt me, et non exaudiam, eo quod exosam habuerit disciplinam*. Miraculum igitur et quidem maximum petis, cum in tali statu gratiam a Deo petis, et beatam mortem. *Vix ex centum millibus hominum, ait S. Hieronymus (referente Hadriano papa) quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*. Ratio est quia illud tempus non peccatoris, sed Dei est: sicut cum dux dat civitati, quam obsidet, pacem ad certos dies, ut intra eos se dedat, et gratiam oblatam acceptet. Postquam vero illa pergit in pertinacia, et dux eam omnino circumdat ac tormentis quatit, manuque armata capere incipit, jam non audit eorum preces, sed maecat, spoliat, vastat omnia. Sic fecit Titus Jerosolymam cingens, qui initio pacem et securitatem incolis multoties obtulit, ipsosque adeo rogavit, ut salutem suam consulerent; at ubi auditus non fuit, arcissima obsidione et muro præalto civitatem undique cinxit, ita ut quicumque effugere de urbe conarentur, mox in ejus exercitum inciderent et maectarentur. Mortis ergo tempus, obsidionis est, qua rebellem et obstinatum peccatorem Deus doloribus circumdat, nec jam, ordinarie saltem, deprecantem audit amplius, sed perdit: unde Ecclesiastes, c. VII. ait: *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Olim iudices reum capitis condemnaturi, inter se et reum cortinam obducebant, et interjecto velo se continebant, ne facile ad misericordiam flecterentur (ut meminist Clemens Rom. l. II. consit. et D. Basilius, epist. LXXVIII. codex Theod. et Justiniani) quia tunc erat tempus justitiam exercendi. Pari jure Deus peccatoribus, cum jamjam ad iudicium sistendi et damnandi sunt, vultum gratia suæ subducet, quam prius contempserunt. Opponet: *Nubem sibi, ne transeat oratio eorum*, Thren. III.

Operuisti in furore et percussisti nos: occidisti, nec repercisti. Opposuisti nubem, etc.

Nota est historia de Judæo illo, nomine Salomone, qui postquam in latinam incidisset, et in sabbato extrahi nollet, dicens: « Sabbata nostra colo, de stercore surgere nolo: » magistratus postea in die dominico, quo Judæus extrahi volebat, respondit: *Sabbata nostra quidem Salomon celebrabis ibidem*. Quid mirum, si et peccator, qui tempore juventutis et sanitatis, quo sabbatum suum agit in mundi voluptatibus, de peccatorum suorum facibus non vult extrahi, audiat tempore mortis, tempus et sabbatum Dei esse: *Sabbata nostra quidem, etc.* Quis dubitat obsessos Jerosolymitanos, cum viderunt præ oculis undique extremam angustiam, famem, pestem, gladium, tunc dixisse ad se invicem: O nos miseros et stolidos, cur non hinc aufugimus, cum fugere poteramus? Cur non credidimus iis, qui hanc cladem nobis prædixerunt? Idem dicent vel cogitabunt morientes, qui poenitentiam in mortem usque distulerunt. Orate ergo dilectissimi, per salutem vestram oro, orate, imo ipsi procurate, ut non fiat fuga vestra hieme vel sabbato.

CONCIO V.

SEX ASYLA PROTEGENTIA AB IRA JUDICIS VENTURI.

I. Ecclesie catholice fides et obedientia. — II. Tribunal poenitentia. — III. Opera misericordie. — IV. Oratio sedula et perseverans. — V. Timor perennis et præmeditatio iudicii. — VI. Ingressus in religionem, vel alium securum statum.

THEMA.

Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.
Matth. XXIV.

Magnum fuit beneficium, quod exhibuit Deus familie justi illius Loth, Genes. XIX. quando misit ei binos angelos, qui de futuro Sodomæ incendio eam monerent atque eriperent. Sed longe majus est, quod exhibuit nobis omnibus, quando misit Filium suum Christum, magni consilii angelum, ad præmonendum nos de futuro et ultimo mundi incendio extremoque iudicio. Id quod in hodierno evangelio fecit Christus. Angeli monebant Loth, ut fugeret ab incendio; Christus monet nos, ut fugiamus ab excidio mundi et futura ira: angeli præcipiebant, ut nemo fugientium retrospectaret; Christus monuit, ut qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam; qui in tecto est, non des-

cedat in domum suam: angeli dicebant: *In monte salvum te fac*; Christus dixit: *Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes*. Sed qui sunt isti montes, ad quos recipere nos debemus, si a ventura Dei ira abscondere nos volumus? Audiamus.

Jussit Deus, Numer. XXXV. designari sex civitates, ad refugium eorum, qui nolentes sanguinem fudissent, ut ad eas confugerent, et immunes essent a persecutione eorum, qui cognati erant hominis occisi. Eæque reipsa designatae sunt, Jos. XX. post ingressum filiorum Israel in terram promissionis. Ego totidem invenio præcipua asyla, ad quæ recipere nos possumus, ut fugiamus a ventura Dei ira.

I. Asylum est Ecclesia catholica, ejusque fides et obedientia. Hoc asylum videtur expressisse David, Psal. CIII. cum ait: *Petra refugium herinacis*. Teste enim Ambrosio, l. V. hexam. c. IX. et B. Basil. in hexam. hom. VII. herinacius marinus providens tempestatem, petrae alicui manibus pedibusque adhaeret, ne a fluctibus eiciatur ad littus. Nos ergo petrae Ecclesie firmiter adhaereamus, si tempestatem illam incolumes sustinere volumus. Extra eam salus non est sed interitus certus. Quemadmodum extra arcam nemo diluvium evasit et interitum: sic extra Ecclesiam nemo tunc salvabitur: unde Joan. III. ait Dominus: *Qui autem non credit jam iudicatus est*. Quia vero sola fides non sufficit ad salutem, et in Ecclesia mali sunt et boni, oves et hædi, quemadmodum et in arca Noe, tam immunda, quam munda fuerunt animalia: idcirco addendum, ut qui cum magna fiducia apparere in iudicio vult, Ecclesie et prælatorum ejus directionem sequatur, seque ovem præstet in ovili Christi. Propterea enim Christus, Matth. XXV. electos in iudicio ad dextram suam locatos, oves vocat: reprobos vero ad sinistram hædos; quia nimirum illi velut oves ejus vocem pastoris audierunt, eumque secuti sunt, prout dixit: Joan. X. *Oves meæ vocem meam audiunt, et sequuntur me*; hi vero instar hircorum præcipitia ascendebant, nec recto gradiebantur itinere. Ratio idipsum comprobatur: nam qui Ecclesie ductum et pastorem directionem tamquam ovis sequi per omnia studet, qui præcepta Ecclesie observat, prælatorum suorum consilio utitur, ad pascua verbi Dei et sacramentorum duci se ab iis sinit, non tam is pro se, quam Ecclesia et pastores pro ipso reddere rationem in die illo debent. Etenim: « In obedientia, ait S. Hieronymus, in reg. monial. non solum mens excusatur a reddenda Deo ratione de subditis, sed nec etiam obligatur reddere de se ipsa. O summa